

De vivo antiquarum linguarum usu apud « academicos » hodiernos
(sive de argumento libri c.t. *L'Avenir des langues anciennes*¹
i.e. *De futura linguarum antiquarum doctrina et cultu*)

Hodie non multi sunt libri vel minora scripta quae vivam Latinitatem vel etiam usum Attice loquendi scribendique explicent et defendant per argumenta scientiae plus quam adfectus proprios. Hoc enim animadverti potest quemdam murum intra orbem studiorum classicorum exstare videri qui separet quos « academicos » sive « philologos » nominem ab eis qui vivum antiquorum sermonum usum colant. Equidem puto hunc murum exstare praecipue quod homines inter se non intellegunt.

Itaque apud multos academicos qui de viva methodo iudicia sua aperuerunt, verba acerbiora leguntur vel audiuntur qualia « *nugae* », « *error anachronicus* », « *inceptum vanum et inutile* », cet. Illis enim Antiquorum linguae omnino mortuae sunt nec intellegunt cur homines Renascentiae imitari debeamus. Nonne vero quotannis ex studiorum universitatibus nostris exeunt homines litteris antiquis imbuti ac doctissimi ? Insuper illi pro re comperta habent scholastico majoris esse momenti modernis scientiis imbutum esse quam plus minusve non vere Latine sed grammatice loqui valere.

Contra, multi cultores vivi usus se videntur quasi despiciatui ab academicis qui dicuntur duci. Nec alias causas de hoc invocant ac suorum « inimicorum » superbiam falsamque scientiam, vel potius « siccam » scientiam², id est scientiam quae intellectum tantum nec totum hominem spectet, contra ac tempore Renascentiae scientia litterarum fuit.

Haec autem disputatio digna majore attentione studioque fit ubi alteri alteris sua quique iudicia rationaliter explicant, quia tunc fit occasio quo melius homines nimis dissimilibus ingeniis animati inter se intellegant. Tamen hoc non satis est. Nam ut rationes latinizantium et atticissantium studia animis academicis incendiant, susque deque non est quod quidam academici illas rationes coram collegis suis ipsi defendant.

Equidem diu intra me interrogavi quae esset causa cur tam pauca opera academica et scientifica (etiam vulgo scripta) in lumen ederentur ab eis qui vivam methodum doceant. Si plura tantum sint, utilitas et bona vivae methodi ceteris magis appareant. Sed eius rei causam quoque in libro c. t. *L'Avenir des langues anciennes* explico³. Quantum sciam, ei qui orbi terrarum non solum commercia Latina vel Graeca colunt sed etiam libros et symbolas scientificas publicare pergunt tam pauci sunt ut plerosque raptim numerare liceat. Hos inter paucos, pauciores ad exempla indicabimus⁴ :

¹ Rimbault (Olivier), *L'Avenir des langues anciennes. Repenser les humanités classiques*, Perpignan, Presses Universitaires de Perpignan [coll. Etudes], sept. 2011, cum praefatione a Joel Thomas litterarum Latinarum cathedratico in studiorum Universitate Perpignanensi [UPVD] conscripta.

² Cf. *Ibid.*, p. 69-71, et p. 81, paragr. « *De la conjonction des opposés* ».

³ Praesertim p. 82.

⁴ Patet homines mihi Francogallo notiores infra praebitos esse. Paulo (nec igitur multo !) plures « doctores » Academiae Latinitati Fovendae [= ALF] participes sunt quorum album in hac pagina eiusdem Academiae situs inspicere potest : <http://www.academialatina.org/doctores.html>

Nonnulli et alii in albis oratorum ac participum ALF conventuum XI et XII (a. MMVI ac MMIX habiturum) e pluribus studiorum universitatibus advenientes inscripti sunt quorum academica opera quaeque in suis finibus ultraque fortasse non minoris momenti sunt. Cf. <http://www.academialatina.org/conventus2.html>

- in Finnia, Thomas [Tuomo] Pekkanen⁵ et Ericus [Erkki] Palmén⁶ ;
- apud Belgas, Theodericus [Dirk] Sacré⁷ ;
- in Germania Valahfridus [Wilfried] Stroh⁸ et Georgius [Jürgen] Leonhardt⁹ ;
- in Hispania, Josephus Maria [José María] Maestre Maestre¹⁰ et Joachimus [Joaquín] Pascual Barea¹¹ ;
- tres indicabo natos in Francogallia ubi non omnes nunc scholas agunt, primo unum juvenem indagatorem in rebus neolatinis nomine Antonium [Antoine] Haaker¹², deinde duos doctos in Graecis litteris, Carolum [Charles] Delattre¹³ et Christophorum [Christophe] Rico¹⁴.
- Denique in Foederatis Americae Civitatibus famosus est ille Terentius [Terence] Tunberg eiusque auxiliatrix Milena Minkova scholas Latinas in universitate Lexintoniensi¹⁵ simul ducentes. Alter enim in eadem universitate, altera primum Sophiae in Bulgaria deinde Romae gradum doctoralem adepti sunt neque umquam post, una cum libris potius ad studentium usum editis¹⁶, scientificas indagaciones agere desiverunt¹⁷.

⁵ Philologiae Latinae Cathedricus emeritus in Finniae studiorum Universitate Granivicensi. Permulta publicavit ALF Praeses prior. Ejus notissimum opus est conversio in Latinos versus eius clarissimi ac veterrimi Finnorum poematis epici c.t. *Kalevala : Kalevala Latina* (1987), Helsinki, Suomalaisen Kirjallisuuden Seura, secunda editio, 1996.

⁶ Doctoratum adeptus, opera Latina in sermonem Finnicum (vulgo *suomi*) convertit, e.g. Horatii *Epistulam ad Pisones* sive *De arte poetica* (1978) et Carminum librum IV (1989), sed etiam partem Johannis Messenii scriptorum s. XVII de Finnia (Johannes Messenius, *Suomen, Liivinmaan ja Kuurinmaan vaiheita sekä tuntemattoman tekijän Suomen kronikka*, suom. Martti Linna, Jorma Lagerstedt ja Erkki Palmén, Helsinki, 1988). Ab eodem cum Brunone Luiselli et Tuomone Pekkanen edita sunt *Acta Selecta Noni Conventus Academiae Latinitati Fovendae*, Jyväskylä, Finland, (6-12 August 1997), 2002.

⁷ Gradum doctoralem Josepho (Jozef) Ijsewijn ducente adeptus, cum magistro suo tomum II famosi ac locupletissimi libri c.t. *Companion to neo-latin studies* (Leuven/Louvain, Leuven University Press, 1998) conscripsit ediditque. Ab eodem anno totam operam in Lovaniensi universitate dedit, ubi classicas et neolatinas litteras docet officioque "scriptoris Latini" fungitur. Inter alias publicationes ubique terrarum lectas, periodicum c.t. *Humanistica Lovaniensia. Journal of Neo-Latin Studies* (Leuven) dirigit. Non est unius collegii editorialis particeps atque Consilio editionem omnium Erasmianorum operum curanti [*Conseil international pour l'édition des oeuvres complètes d'Érasme* (Rotterdam)] interest. Cf. eius paginam :

<http://www.arts.kuleuven.be/sph/sacre.htm>

⁸ Philologiae Graecae Latinaeque Cathedricus emeritus in Monacensi studiorum Universitate [*Ludwig-Maximilians-Universität, München*]. Cf. interretiales eius paginae in quibus bibliographia et vita et symbolae quaedam : <http://www.lrz.de/~stroh/>

⁹ Litteras et cultum Romanorum in studiorum Universitate Tubingensi [*Eberhard Karls Universität, Tübingen*] docet. Cf. <http://www.uni-tuebingen.de/uni/aps/dozenten/leonhardt.htm>

¹⁰ Philologiae Latinae Cathedricus in Gaditana studiorum Universitate. Auctor ca. centum scriptorum de litteris neolatinis eius saeculi quod "aureum" in Hispanica Historia dicitur.

¹¹ Cathedricus in eadem studiorum universitate. Ejus bibliographia in hac pagina praebetur :

<http://joaquinpascualbarea.blogspot.com/>

¹² Cf. paginam in interretiali situ universitatis Wratlaviensis [*Wrocław*] operas eius describentem : <http://www.ifkika.uni.wroc.pl/?u=57>

¹³ Magister Graecae philologiae in Parisina studiorum Universitate nunc « Paris Ouest Nanterre La Défense » nuncupata, ac conditor 'Kuklou Hellenikou' fortasse unici apud superiores Europae institutiones. De academicis eiusdem publicationibus, cf. interretialis pagina in eius universitatis situ :

http://www.u-paris10.fr/1849/0/fiche___annuaireksup/&RH=depclass_ensgr

¹⁴ Postquam adgregationem grammaticae et gradum doctoralem in Graeca linguistica adeptus erat, litteras Graecas (praecipue linguam quae "koine" dicitur lectionemque Sacrorum Bibliorum) Hierosolymis vivo modo docuit. Primus eius methodi liber a. MMVIII editus est : *Polis, parler le grec ancien comme une langue vivante*, Paris, Editions du Cerf, 2008. Cf. <http://poliskoine.com/>

¹⁵ *University of Kentucky, Division of Classics, Lexington*, ubi cursus scholarum usque gradum Magistralem (Master Degree) et Doctoralem (Ph. D.) exercitationem in viva Latinitate ("training in active Latin") includit :

Cf. http://as17.as.uky.edu/academics/departments_programs/MCLLC/MCLLC/Classics/Pages/default.aspx

¹⁶ Cf. Minkova (M.) & Tunberg (T.), *Readings & Exercises in Latin Prose Composition. From Antiquity to the Renaissance*, Newburyport (USA), Focus Publishing / R. Pullins Co., 2004 ; eorundemque *Reading Livy's Rome: Selections from Books I-VI Of Livy's Ab Urbe Condita*, Mundelein (USA), Bolchazy-Carducci Publishers, 2005.

Nihilominus res non tam simplices sunt quam saepe mente finguntur¹⁸ : sunt enim magistri in studiorum universitatibus qui viva methodo in scholis suis utuntur nec satis otii habent ut scholis ductis indagaciones publicandas addant¹⁹. Nisi lectiones ordinis universitarii quasi opera academica in quodam sensu haud immerito habendae sint. Verum etiam inter ipsos philologos, communi sensu, sunt qui vivam Latinitatem laudant miranturque nec colunt²⁰. Atque hoc notare licet, nisi fallor, eos numero minores esse inter academicos qui antiquis studeant quam inter eos qui Renascentiae auctores Latinae linguae convertant et commententur et publicent²¹.

Ergo, quae sunt, rogo, non iudicia tantum, sed etiam argumenta plus minusve explicata de illa disputatione recentissima apud scriptores qui academici appellari possunt? Haec indicabo apud vivae methodi studiosos collecta. Nonnulla enim ac dignissima lectu, in libris a duobus Germanis nuper editis occurrunt, sc. Georgii Leonhardt libro q.e. *Geschichte einer Weltsprache*²², verso in Francogallicum sermonem sub titulo *La grande histoire du latin*²³, atque in Valahfridi Stroh libro, q.e. *Latein ist tot, es lebe Latein*²⁴, verso in Francogallicum sermonem sub titulo *Le latin est mort, vive le latin!*²⁵

Praecipuum Valahfridi Stroh argumentum in defensionem vivae Latinitatis philologicum est : lingua mortua est, ait, inde a Ciceronis aevo, ubi litteratorum scribendi loquendique modus e vulgari sermone distinctus est. Sic haec linguae forma quasi defixa et immutabilis, quod ad grammaticam, pronuntiationem communeque vocabularium attinet, et hoc ipso perennis facta est, ut nunc non falso et mortua et viva simul dici oporteat²⁶. Quod paradoxon miro modo illustratum est a permultis litteratis renascentiarum (quia quidem non una fuit renascentia) sed etiam novissimorum temporum velut a Iano [*Jan*] Novák Tsechoslovacus (1921-1984)²⁷ et Valahfrido Stroh ipso (a. 1939° natus) inter plures.

¹⁷ De academicis amborum operis, cf. <http://www.uky.edu/AS/Classics/faculty.html>

¹⁸ Imprimis in mentibus eorum qui vivae methodi « despectum » in ordine et secundario et universitario conqueruntur.

¹⁹ In Francogallia hoc optime illustratur a Claudio (*Claude*) Fiévet, cathedratico Palensi, qui methodum suam edidit una cum paucissimis symbolis de eadem in scientificis periodicis – cf. Rimbault (Olivier), *L'Avenir des langues anciennes...*, note 16, p. 61.

²⁰ E.g. Johannes (*Juan*) Gil, Academiae RAE [*Real Academia Española*] nunc sodalis, qui operas doctorales Josephi M. Maestre Maestre et Joachimi Pascual direxit eorumque exempla et aliorum discipulorum natu minorum publice laudat cum ipse imperitus sit in Latine loquendo.

Cf. <http://sandra-ramosmaldonado.blogspot.com/> (verba d. XV m. Maii a. MMXI).

²¹ Ita, Perrina (*Perrine*) Galland-Hallyn, una omnium notissima non solum in Gallia sed in Europa, quae in schola nomine EPHE [*Ecole Pratique des Hautes Etudes*] docet, anno MMV m. Aprili Theodericum Sacré (cf. supra) Lutetiam invitavit ut coram studentibus de neolatinis poetis a s. XIX° ad XXI^{um} loqueretur.

²² München, Beck, 2008.

²³ Versio facta a Bertrando [*Bertrand*] Vacher, Paris, CNRS éditions, 2010.

²⁴ Berlin, List, 2007.

²⁵ Versio facta a Sylvano [*Sylvain*] Bluntz, Paris, Les Belles Lettres, 2008.

²⁶ Cf. Stroh (W.), *Latein ist tot, es lebe Latein / Le latin est mort, vive le latin...*, epilogus.

²⁷ Cf. Stroh (Wilfried), « De Iano Novák musico et poeta », in *Germania Latina. Latinitas teutonica. Politik, Wissenschaft, humanistische Kultur vom späten Mittelalter bis in unsere Zeit*, ed. E. Keßler / H. C. Kuhn, vol. I, München, 2003 (= Humanistische Bibliothek I, 54), p. 195-216, eiusdemque, « Jan Novák : moderner Komponist antiker Texte », in *Atti dell'Accademia Roveretana degli Agiati* a. 249 (199), ser. VII, vol. IX, A, p. 33-62, etiam interretialiter editum : http://www.klassphil.uni-muenchen.de/~stroh/j_novak.htm

Nihilominus sub illa philologica ratione aliud sentiri potest ab eo qui scribendi generi Valahfridi Stroh acute studeat : de auctoris vix reprimendo et quasi irrationali amore erga linguam Romanorum dico²⁸. Nam illo paradoxo Vahlafridus Stroh explanat unde fiat ut lingua Latina delectatione quasi magica multos adhuc nunc alliciat. Tali autem subaudito argumento ratio psychologica inest quae in opusculo nostro explicatur ipsa²⁹.

Tertium argumentum in Georgii Leonhardt libro invenitur : nam ille, quia ipse futuros doctos format et docet³⁰, memoriae reducit scholastico imprimis necesse esse cursivam lectionem petere³¹. Nec illi docto³² (sicut mihi omnibusque studiosis vivae methodi) nota est ulla via et ratio longe melior ad hoc quam methodus usitata ad hodiernas linguas discendas. Francisca [Françoise] Waquet, cum in ultimis lineis eius doctissimi libri c.t. *Le latin ou l'empire d'un signe*³³, non differens consilium institutioni universitariae adsignet³⁴, tamen vivam Latinitatem in eodem libro quasi somnium sine futuro recusat³⁵, tum nempe non explanat quemadmodum studentes plus minusve cursoriam lectionem adipiscantur. Quae res eo majus studium rogat quo minus est temporis spatium per quod hodie multi studiorum universitatum discipuli in linguis antiquis callere rogantur.

Nunc autem, non in Franciscæ Waquet libro historico argumentationem omnium amplissimam invenimus contra vivum veterum sermonum cultum, sed in quadam duorum hellenistarum dissertatione philosophica. De Heinrici [Heinz] Wismann Petrique [Pierre] Judet de La Combe libro c.t. *L'Avenir des langues*³⁶ loquor. Equidem, fateor, quam angusta

²⁸ Cf. Stroh (W.), *Latein ist tot, es lebe Latein / Le latin est mort, vive le latin...*, praefatio Latine scripta.

²⁹ Cf. Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, p. 99 et 136.

³⁰ Quem scopum (futuros doctos erudire) recentiora programmata Nationalis Educationis ad secundarium ordinem in Francogallia recusant – cf. Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, p. 122-123 (« *Sur les résultats de l'enseignement actuel* »).

³¹ Cf. Leonhardt (J.), *Geschichte einer Weltsprache...*, cap. V, in Francogallica versione (*La grande histoire du latin...*) praesertim p. 312-313.

³² Cf. *Ibid.*, in Francogallica versione praesertim p. 321-322.

³³ Waquet (F.), *Le latin ou l'empire d'un signe, XVIe-XXe siècle*, Paris, Albin Michel, 1998 ; réimpr.: 1999, 2003 ; conversus in linguam Anglicam : *Latin: Or the Empire of a Sign*, Brooklyn/London, Verso, 2001 ; Italicam : *Latino. L'impero di un segno (XVI-XX secolo)*, Milano, Feltrinelli, 2004 ; sed etiam Sinicam : Owl Publishing House, 2007. Cf. <http://www.cellf.paris-sorbonne.fr/annuaire/chercheur.php?idc=57&idr=7>

³⁴ Cf. Waquet (F.), *Le latin ou l'empire d'un signe...*, p. 323.

³⁵ *Ibid.*, p. 310-315. Quod somnium nihilominus satis bene interpretatur illa nec sine quodam animi motu : (de formis cuiusdam facilioris neolatini s. XX^o fictis, *ibid.*, p. 317) « *On s'amusera de la bizarrerie de certaines d'entre elles, voire du délire linguistique de leurs « inventeurs » ; on ne sera pas moins frappé, voire ému par cette recherche passionnée d'une langue idéale qui faciliterait les échanges. De fait, ces constructions plus ou moins étranges révèlent un imaginaire linguistique où, entre espérances et chimères, le latin constituait, par sa dimension universelle, une garantie pour le futur : à nouveau, les hommes du monde entier se comprendraient en toute transparence et la malédiction de Babel serait enfin conjurée* » [« Ex eis nonnullae quippe quae monstruosae sint eorumdemque « inventores » in lingua formanda delirent risum movent. Verum tamen hi studiosissimi conatus ad fingendum quemdam perfectum sermonem, qui commercia faciliora faceret, indubitata mirationem vel etiam animi motum suscitaret. Etenim his fictionibus plus minusve miris manifestum fit quoddam linguarum imaginarium in quo lingua Latina, inter spes et inanes cogitationes, pro quadam arce in futurum ideo se praeberet, quod res universalis facta esset ; denuo igitur universos homines inter se quam clarissime intellecturos Babelisque malefica tandem irrita facturos »].

³⁶ Judet de La Combe (P.) et Wismann (H.), *L'Avenir des langues, Repenser les Humanités*, Paris, Le Cerf, 2004. Ambo sunt indagatores et docent litteras Graecas et philosophiam in schola nomine EHESS [Ecole des Hautes Etudes en Sciences Sociales] Parisina institutione. Qui plura de eorum operis scire velit se conferat de primo ad <http://www.idref.fr/autorites/autorites.html> et de altero ad <http://www.idref.fr/027198618> aut ad summarium praebitum in libro q.e. Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, p. 28-29.

nisi quodam sensu falsa sit eorum argumentatio, quamvis lectu dignissima, arguere volui³⁷. Ut aliter et metaphorice dicam, id quam potentissima probatione demonstrare temptavi eos solum quemdam angulum horti Musarum novisse eundemque hortum multo ampliorem miraeque varietatis plenum esse.

Illos doctos arguere eo maioris momenti mihi videbatur esse quod non solum, ut dixi, acutam argumentationem in quadam generali linguarum meditatione explicaverant sed etiam a duobus ministris Educationis Nationalis hoc ipsum officium acceperant. Nam ultimis praeteriti saeculi annis programmatum renovatio in Gallia omnibus secundarii ordinis magistris iussit ut discipuli non nisi per scripta antiqua sine ulla accommodatione sive ut aiunt « authentica » Latinum Graecumque discerent. Sic litteris studerent eisdem interpretationis instrumentis atque in lectionibus litterarum patriarum. Quae nova ratio favebat tralaticio modo discendi per grammaticam et abstractionem. Tamen exspectata studiorum classicorum renaissance non accidit, immo illa studia causis tum intrinsicis cum extrinsecis labare pergunt non solum in lyceis sive gymnasiis sed multo plus in studiorum universitatibus. Nempe ab Henrico Wismann Petroque Judet de La Combe publice petitum est ut cogitationes et principia redderent quibus doctrina linguarum sive vivarum sive mortuarum quae dicuntur non solum in Francogallia sed etiam in Unione Europaea bono communi et proprio faveret.

Quid igitur professi sunt ? Quod de linguis universis distinguendae sunt tres species doctrinarum sive tres sectae, si modo linguae mathematicae expositioni excipiuntur. Haud falso primum dicunt alios esse homines qui linguas adhibeant praecipue ut commercia utilia cum alienis sine mediatione cuiusdam conscientiae « criticae » habeant ; deinde alios esse qui linguas patrias habeant pro patrimoniis id est perennibus et translaticiiis matricibus et cultibus in quibus cives educendi sint. Auctores autem libri c.t. *L'Avenir des langues*, cum negent homines his duobus modis ad conscientiam rerum veram et liberam formari posse, novum pondus summamque utilitatem antiquis linguis et litteris attribuunt, si quidem mortuae habentur, ut affirmant. Tunc enim « mortuas linguas » discipulis materiam offerre ut conscii sui fiant quoniam partes orationis definiendo ut sensum adipiscantur intellectum et mentem suam educant, tum id quoque doceantur et intellegant quod communes veritates traditionibus et cultibus impositae revera decursu temporum mutant nec alia veritas est quam unica natura cuiuscumque actus loquendi. In hac dissertatione Henricus Wismann eiusque collega respiciendos philosophos quales Immanuel Kant ac Fridericus Hegel sequuntur, memoriis reducentes conscientiam criticam et rationalem formari posse cum eo quod intervallum alteritatis separet mentem ab objecto studii, ut hoc verbum « objectum » significet. Quod accidere aiunt ubi sub specie Historiae nec vero cuiusdam commenticiae Naturae ambigatur, ergo mirum in modum in linguis antiquis discendis nisi quidem quasi instrumenta expressionis propriae aut vehicula cuiusdam perennis cultus « vitiose » doceantur.

Certe, haec erat argumentatio satis gravis ut multi magistri litterarum antiquarum ea convincerentur. Itaque aequali fere gravitate et scientia arguendum erat. Quod pro mea parte egi nitendo praesertim scientia psychologica. E.g. recentissima inventa de cognitivis facultatibus referendo, id comprobare conatus sum antiquas linguas cerebro nil nisi linguas esse, ut ei non multum differre debeat earum acquisitio ac nostrarum, si modo propositio cursoriae lectionis observanda sit³⁸. Sed imprimis tum operibus et notionibus Caroli Gustavi [*Carl-Gustav*] Jung atque Gilberti [*Gilbert*] Durand cum experimentis propriis et alienis usus sum ut comprobarem illas cogitationes de linguis « mortuis », quamvis profundas, subjectivas

³⁷ Quod sane manifestum facit titulus et subtitulus responsi mei.

³⁸ Cf. Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, cap. VI.

esse, id est peculiari ingenio adhaerere. Quare illi duo docti nec totas facultates animi comprehendunt neque utilitatem disciplinae nostrae ad eas omnes colendas cognoverunt.

Secundum Carolum Gustavum Jung quattuor sunt facultates animi, scilicet facultas cogitandi [*Denken, thinking, la pensée*] et intuendi [*Intuition, intuition, l'intuition*] et sensibus iudicandi [*Empfinden, feeling, le sentiment*] et sensibus percipiendi [*Fühlen, sensation, la sensation*]³⁹. Videlicet auctores libri c. t. *L'Avenir des langues* primam tantum facultatem curant, velut, concedendum est, multi magistri. Similiter, in Gilberti Durand descriptione imaginarii humani [Francogallice «*l'imaginaire*»] sive mundi omnium imaginum quae universis in litteris occurrunt, facile recognoscitur illis auctoribus id imaginarium esse quod Gilbertus Durand diurnum sive solarium appellat. Haec sit intima causa cur vix intellegere possint suis differentes adfectus eorum qui vivam Latinitatem vel Graecitatem colunt. His enim alteris imaginarium nocturnum potius est. Alterum imaginarium sive diurnum mentem inclinatur ad res distinguendas et opponendas et particulatim percipiendas, cum alterum inclinationem ad res sociandas et simul sentiendas foveat. Ut quadam mythologica et astrologica allegoria utar, illos Saturni filios appellem hosque Veneris⁴⁰.

Sed res denuo non tam simplices ac binariae sunt⁴¹ : e. g. cum Saturni filiis quaedam dilectio et delectatio litterarum propriae sint, tum animi Venerii, ut ita dicam, in arte propria gravitatem et ruditatem temporis patiuntur : etenim quantas horas, quantos menses, quantos annos memoriae eis prius exercendae sunt quam Latine vel Attice scholas agere aut colloquia habere aut versus componere valeant ! Sic hoc denuo comprobatur contraria inter se jungi, hic in eadem luctatione symbolica contra *Chronon*, qui omnia omnesque vorat⁴². Praeterea altera veritas quam Henricus Wismann Petrusque J. de La Combe praetereunt haec est : cultoribus vivae Latinitatis Graecitatisque vel etiam eis philologis qui *συμπόθειον* cum antiquis auctoribus colant⁴³ tantam conscientiam criticam et rationalem esse quantam eis qui objectis « mortuis » studere malint.

Ut concludam, hoc responso meo id demonstrare volui tam varia hominum ingenia occurrere ut non jure eadem via et ratio eis imponatur, quod valet in rebus scholasticis imprimis. Hanc quidem legem librum meum ita probaturum spero quo melius alteri alterorum modos cogitandi et docendi intellegant et admittant nisi, quidni, eos in communibus officiis socient. Non igitur ero qui declarem Saturnalem sive grammaticalem et criticam viam pejorem esse. Immo argumentatio mea facit ut et bonum et defectum cuiusque viae exponatur.

³⁹ Cf. *Ibid.*, p. 30 et 49 – de hac theoria jam bene probata, cf. Jung (Carl-Gustav), *Psychologische Typen* (1921), in *Gesammelte Werke*, Bd.6, ed. M. Niehus-Jung, L. Hurwitz et F. Riklin, Düsseldorf, Auflage Patmos, 1995 ; versio Gallica (ab Y. Le Lay), *Types psychologiques*, Genève, Georg éditeur, 1993.

⁴⁰ Cf., Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, cap. V, p. 72-76, et Durand (Gilbert), *Structures anthropologiques de l'imaginaire. Introduction à l'archétypologie générale*, Paris, Bordas, 1960, 10^a ed.. Dunod, 1984.

⁴¹ Ei qui legit liceat in argumentatione dialectica mea recognoscere, fateor, animum imaginario “nocturno” nisum !

⁴² Cf. Rimbault (O.), *L'Avenir des langues anciennes...*, p. 81-83.

⁴³ Cf. exemplum illius famosi ac Francogalli historici c. n. Henrici-Irenei (*Henri-Irénée*) Marrou, cujus verba allata *ibid.*, p. 29. Marrou in eo Augustinum (quem multum commentavit) sequitur. Hic enim scripsit : « *Et nemo nisi per amicitiam cognoscitur* » (*De diversis quaestionibus octoginta tribus*, LXXI, 5). In hac inclinatione animi ingenium extraversum quale C. G. Jung id descripsit sive quod Theodisce *Einführung* appellatur recognosci potest.

Postremo consequitur ut quattuor sectas magistrorum quattuorque modos linguas antiquas spectandi describam⁴⁴ :

- Primo translaticius *philologus*, stricto sensu, pro linguis *mortuis* sermonem Latinum et Graecum habere potest quia sua magnopere interest ut lingua et textus inspectus quasi objecta sint. Sic de utroque prudens ac « puram » veritatem suam petens disserit.

- Secundo cum *philologus magister* fit, saepe accidit ut praeferat cum discipulis ceterisque de linguis *antiquis* dicere. Haec est prima imminutio vocabuli (Francogallice *euphémisme*)⁴⁵, nec injusta est, quippe quoniam magister sive praesentiam antiquorum ostendat sive amorem linguae suum tradat discipulis.

- Tertio sunt ii qui textus antiquos recitare solent ut auditores sensibus et animi motibus eos intellegant. Hi sunt ᾠδοὶ sive ῥαψωδοὶ saeculi XXIⁱ : de « *recitantibus* » loquor, Anglice autem *oral readers* vel *interpreters*, ut se ipsos vocant, quia primi eorum in Foederatis Americae Civitatibus apparuerunt cum Stephanus (*Stephen*) G. Daitz societatem c.n. SORGLL condidisset. In Francogallia condiscipulum invenit nomine Philippum Brunet, nunc magistrum Graecae philologiae in studiorum Universitate Rotomagensi [*Rouen*]. Ille cum grege suo c.n. « Demodocos » plura et mira spectacula instituit, in quibus linguae antiquae resonarunt⁴⁶. Tales igitur homines eas linguas nec mortuas neque antiquas quidem volunt, sed, quoddam est Latinum adjectivum, ‘*vivaces*’ (pro hoc Francogallico « *vivaces* », nec dum « *vivantes* » i.e. Latine « *vivas* »)⁴⁷.

- Denique, sunt ii de quibus locutus sum, ii qui Latinum vel Graecum antiquum quasi linguas *vivas* usurpent. Hucusque enim somnium « classicismi »⁴⁸ eos movet, etsi inter eos distingui possunt qui id consilium sequuntur quo melius citiusque lingua discatur (eos nomino « didascalicos », Francogallice « *les didacticiens* ») ab eis qui non nisi in puro aeternoque caelo praeteritarum litterarum se ipsos investigant et recognoscunt. Horum igitur potius « culturalis » est propositio.

Certe vero multi sunt ii qui has duas propositiones quin etiam hos quattuor modos misceant ! Etenim ratio et intellectus, sensu Aristotelico vel Cartesiano, fines et metas i.e. definitiones et conceptiones delineat. Quae omnes sine timore errandi confunduntur potentia amoris, sed etiam ea ratione qualem nunc exercet philosophia « complexiva » vocata [Gallice *pensée complexe*] ut major fortasse veritas a nobis apprehendatur⁴⁹. Post dissertationem meam c.t. *L’Avenir des langues anciennes*, in extremis libri paginis plerosque versus quos Latine composui inter annum 2004^{um} et 2011^{um} jucundus publicavi, ut iterum illustraretur quam vere

⁴⁴ His summatis explicatis in libro q.e. Rimbault (O.), *L’Avenir des langues anciennes...*, p. 76-81.

⁴⁵ Secundum Gilbertum Durand, imaginarii « nocturni » est *imminutiones* producere ut animus metu mortis et decursus temporis arceatur, cum « diurnum » ad idem *antitheta* generet - cf. Durand (Gilbert), *Les structures anthropologiques de l’imaginaire, Introduction à l’archétypologie générale* (1960)¹⁰, Paris, Dunod, 1984, p. 219-220.

⁴⁶ E. g. grex ille ter vetus Philippi Brunet ‘somnia’ rem veram fecit scilicet publicam recitationem totius Iliadis Homericæ carminis, partim Gallice partim Graece, primum Lutetiae et Avenione a. MMV, deinde Athenis a. MMVI (de gestis et inceptis illius gregis, cf. situm interretialem eius : <http://cpta.free.fr/>).

⁴⁷ De ea tertia « secta », cf. Rimbault (O.), *L’Avenir des langues anciennes...*, cap. V, p. 67-72

⁴⁸ Classicismus, mea sententia, quoddam ‘somnia’ est eo sensu quo Panofsky et Saxl antiquitatis recuperationem post mediaevale aevum interpretaverunt (e. g. cf. eorumdem *Classical mythology in mediaeval art* (1933), versio Gallica (a S. Girard), *La mythologie classique dans l’art médiéval*, Brionne, Gérard Montfort éd., 1990, p. 105-113.

⁴⁹ Nam, non solum ad interpretationem veterum morum sicut moris Latine sciendi sed etiam ad eam scientiam historicam quae epistemologia vocatur reducit haec disputatio utrum antiquae linguae mortuae an quovis sensu vivae sint. Cf. Rimbault (O.), *L’Avenir des langues anciennes...*, Conclusiones (p. 131-141). De philosophia ‘complexiva’, cf. Morin (Edgar), *Introduction à la pensée complexe*, Paris, Le Seuil, 2005, eiusdemque cet. opera.

viva ac propria lingua Latina adhuc nunc fieri possit in cordibus eorum qui eam ament ingenti nec quidem communi amore. Hoc verbum priora concludat !

Olivarius Rimbault
Perpiniani in Francogallia
Jul. Aug. m. a. MMXI